

agi non consuevisse: an ita collata beneficia, atque in eam gentem merita Reipublicæ rependi? an huiusmodi pro iis, quæ Senatus gesserat, quæque pollicitus fuerat, gratias referri? Cum hæc gravi & concitata oratione Vincentius enunciaſſet, qui in concilio aderant, ſummam ſe ex iis, quæ contigerant, moleſtiam percepſſe affirmant; quæ a plebe incondita ac rudi facta eſſent, mollire atque excuſare, humaniſſimis verbis Vincentium ſolari nituntur. Domum reverſum duodecim ex conſiliariis protegere, atque a plebis adhuc furentis æſtu immunem reddere conantur. Salices, qui adhuc Venetiis erat, horum motuum cauſam in reipublicæ Rhætorum formam, quæ nullis certis conſtaret legibus, conferre: *Nil mirum, ſi in populari ſtatu huiusmodi nonnunquam ſeditiones ſuboriantur: ſperare, brevi, certa Veneti ſubſidii ſpe, concilio Fanti indiſto, cuncta compreſſum ac ſedatum iri: in hoc ſe ad concilium ipſum literas vehementes daturum: interim minime Vulturenæ vallis obliviſci Senatum oportere, qua una ſarta, iter tranſalpino militi in fines Reipublicæ pateret.* Quapropter Vincentio in mandatis datum, ut pecuniam præſidiariis Vulturenæ vallis militibus perſolvendam publico nomine polliceretur; eo ferocis atque imperitæ multitudinis impetum ſiſti poſſe Patres rati. Septem aureorum millia a Vincentio tributa: neque ob id tumultus conquieſcere, ſed magis magisque augeri, cunctaque ad civilia diſſidia ſpectare. At in Lotharingia Vaudemontius, priſtina recuperata valetudine, Padavino accerſito, nunquam ſe maioribus gravioribusque implicatum curis; nunquam ita animo æſtuant, in varias ſe partes verſaſſe, quam hoc tempore, inquit: nulla tamen ratione Reipublicæ deeſſe, ſibi immotum ſedere: ut viginti dierum ſpatio ſuperfederetur, cum patre ſibi conſtitutum, quo & Venetiis literæ perferrentur, & quæ pacis ſpes eſſet, ex Italia nuntiaretur: inter ea cogendo militi operam enixe daturum; jamque Lotharingos in procinctu eſſe, aſebat: Helvetios quoque, Tigurinos, Bernates, Claronenſes delectum pro Republica habere; tranſactiſque diebus quindecim, in viam ſe daturos, Padavini literis afferebatur.

Dum hæc fiunt, Romæ de concordia agitabatur; ac Pontificis animus, vel quod a bello Italico abhorrere Hiſpanos intelligeret, Regemque per Internuntium urgenti, ut quæ auxilia polli-

*Senatus
mandata
ad Vincen-
tium in
Rhætos de
pecuniis
militibus
impertien-
dis.*